



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 1. In sortibus magna cautela opus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



ne quid fraudis admittatur. His talibus do-  
lis & culpis semotis, fors, seu *urna Fortuna*  
licita est, & sæpe à Domino Deo in subsidi-  
um pauperis alicuius temperata, vt pro se-  
stertio equum, aut crumenam auro turgi-  
dam accipiat, pro triobolo. Sæpe & auarum  
centum Philippeis in urnam atque hamum  
missis, non finit extrahere, quod teruncio  
quoque emeret. Nimirum *Dominus paupe-*  
*rem facit, & ditat; humiliat & subleuat. Quia*  
*ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iu-*  
*dicticia eius.*

1. Reg. 2.  
7.  
1. Para-  
lip. 16. 14.

CAPVT. III.

*Quàm peruersè Deam, in Sortibus, imi-*  
*tetur, Dei simius Cacodamon?*

§. I.

*In Sortibus magna cautela opus.*

**M**onstrata via, qua dirigenda est  
navis, etiam digitus ad scopulos  
intendendus est, ne naufragiū fa-  
ciamus. Sunt enim infames hīc scopuli, sunt  
Syrtes, sunt Charybdes, sunt Acrocerau-  
nia. Ad quæ declinanda rursus tradenda  
sunt documenta. Neq; enim semper, aut te-  
merè, ad iudicium Sortis, licet recurrere;

E 2            immo



immo sæpius non licet, diuinis humanisque legibus obnunciantibus.

## § II.

*Sortes non idcirco usurpandas, quia in veteri testamento, aut à quibusdam Sanctis usurpata fuerunt.*

Primum documentum. Sortes etiam in Scripturis narratæ, & à quibusdam Sanctis usurpatæ, non idcirco nunc etiam omnes licitæ sunt. De Sanctis constat, eos, ex peculiari Dei instinctu, quædam miranda magis, quàm imitanda fecisse. Nimis diu alijs expectandum foret, si domum redire nolent, donec eis proiectas in mare clauis piscis referret, vt S. Bennoni & S. Maurilio contigisse, supra meminimus. Neque vacarum aut mularum aliorumq; animalium iudicio, aut indicio potiùs, permittendum est, quàm eundem sit: tametsi, in veteri Testamento, vaccis ita arca sit imposita; & camelis, sine duce, ituris ad S. Frontonium commissus commeatus; aut ab Ignatio mulæ permissum, vtram ingredi viam vellet. Adde, & Sanctos non semper ab infantia fuisse sanctos; neque omnia, quæ vnquam fecerunt, sancta arbitranda; cum homines fuerint, & subinde, vt homines errârint.

Com-

1. Reg. 6.  
7.